



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1765**

Titulus XIV. De In Jus Vocando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

Judiciales perdantur, vel per incuriam ab aliis separentur, solent in accuratioribus Tribunalibus Scriptura a partibus exhiberi in duplo, ut uno exemplo alteri parti communicato, remaneat apud Acta alterum exemplum, & mox cum prioribus eodem filo jungatur, numeratis etiam singulis paginis.

## TITULUS XIV. DE IN JUS VOCANDO.

§. 168.

*Citationis*

**S**I quis in Supplicatione, vel libello suo Adversarium citari petiit ad proponendam Actionem contra illum 3.), & Judex decernendam Citationem judicet, fit Citatio, quæ est Vocatio Rei ad iudicium juris experiundi causa.

*Mores Antiqui Romani;*

§. 169. Apud Romanos ipse Actor Adversarium suum in jus vocabat; quod si non protinus sequeretur, testimonium iis, qui præsto aderant, denuntia-

---

3.) De provocatione Adversarii ad agendum vel replicandum ex L. Diffamari, vel ex L. si contendat. jam supra dictum est.

nuntiabatur his verbis, *licet antestari?* id est, licetne vobis testibus ad hanc rem uti? illi ubi *licet* respondissent, aurem, in qua memoriæ sedem veteres locabant 4.), porrigebant, qua molli-ter tacta, atque apprehensa, monebantur rei gestæ memores esse 5.); quo factò manu injecta Adversarius, ni satis daret, in jus rapi, obtortoque collo ad Prætoris Tribunal trahi poterat 6.). Mos iste penitus hodie exolevit,  
nec

4.) Plinius Hist. natur. lib. 11. c. 45. *Est in aure una memoriæ locus, quem tangentes antestamur.*

5.) Leges Ripuariorum tit. 60. §. 1. in acquisitione possessionis pueros adhiberi in defectu Scripturæ præcipiunt, *unicuique de parvulis alapas donet, & torqueat auriculas, ut ei in posterum testimonium præbeant.* Leges Bajuvar. tit. 15. c. 2. *Per chartam aut per testes comprobatur firma emptio, ille testis per aurem debet esse tractus.* Hæc phrasis, quod testes tracti sint per aurem, semper occurrit in Notitia Traditionum ad Altare quoddam in Bavaria seculo decimo factarum, quæ mihi ad manum est: nam sequentibus seculis raro adhibita reperitur, & omnino abolita seculo XIII.

6.) Ita BRISSENIUS de formul. & solemn. Pop. Rom. verbis. POLLETUS Histor. For. Rom. lib. 5. c. 1. Hunc morem ex-

nec cuiquam privata autoritate alterum in jus vocare licet : unde etiam cessat veniæ impetratio , quam Prætor quoad certas personas in jus vocandas exigebat 7.) : cum enim Citatio fiat prævio decreto Judicis , hic ipse causam Citationis justam declarasse censendus est , nisi Statutum Provinciæ aliud exigat 8.) . Actor tamen in Supplicatione debet exprimere reverentiæ vinculum , quo erga citandum tenetur , ut Judex dispiciat , an non obstante hoc vinculo Citatio sit decernenda ; verba etiam Actoris ita temperanda sunt , ne lædatur reverentia ; alias Supplicatio rejicienda esset.

Et hodierni.

§. 170. Citatio hodiernis moribus alia est *generalis* , alia *specialis* : per hanc certa persona ; per illam vocatur in jus , quicumque sua interesse

pu-

---

prestit HORATIUS lib. I. Sat. 9. *Casus venit obvius illi Adversarius ; Et , quomodo turpissime ? magna inclamat voce ; Et , licet antestari ? ego vero oppono auriculam ; rapit in jus : clamor utrinque , undique concursus.*

- 7.) *In jus sine permissu meo ne quis vocet*  
L. 4. §. I. ff. de in jus voc.  
8.) Vid. SCHILTERUS Exercit. 7. ad Pandect. tit. 7.

putaverit, quod non nunquam fit vel a Judice, qui generaliter citat creditores defuncti, cujus bona subhastantur; vel a Lege, quæ certum terminum se iudicio sistendi statuit 9. ). Alia citatio est *Realis*, per quam personæ apprehenduntur & arrestantur 10. ): alia *Verbalis*, quæ fit verbis per nuntium, vel Literis: idque *privatim in faciem Rei*, aut Procuratoris ipsius; in absentia autem ejus ad domum coram domesticis, voce aut Literis, porrectis, aut ad fores ædium de die affixis: vel *publice* per campanam aut tubam, si citetur communitas; vel per proclama seu vocem Præconis; vel per Edictum in pluribus locis publicis affixum, quo citatur Reus, qui est incertus, vel alio modo citari non potest. Diriguntur hæ Citationes vel immediate ad subditum in territorio existentem, vel mediate per requisitionem & Literas compassus in subsidium. Suprema Imperii Tribunalia sibi vendicant potestatem immediate

O                      citan-

---

9.) Exemplum habemus in C. 1. de Elect. in 6.

10.) C. 15. de sent. Excom. in 6.

*De Judiciis.*

citandi omnes mediatos, licet potentiores Principes id nolint tolerare, cum videatur hoc esse contra privilegium de non evocando. Germanus saltem non teneretur comparere, si ab Imperatore citaretur ad locum extra Germaniam situm, forte ad urbem Pragensem. Judex Ecclesiasticus citare solet immediate Laicos omnes in sua Diocesi existentes in Causis spiritualibus.

*Citatio est simplex, vel Peremptoria;*

§. 171. Citatio est vel *simplex*, vel *peremptoria*, ita dicta, quia perimit Citationes simplices, & præcisam comparandi necessitatem imponit, omni ulteriori Citatione denegata, ita ut citatus, si præfinita die non comparuerit, contumax Constituatur 11.). Talis Citatio fit vel tribus distinctis simplicibus Citationibus 12.), vel continet tres distinctos terminos, aut unicum tantundem temporis, quantum alioquin tres simplices, continentem, addi-

---

11.) Peremptorium Edictum inde hoc nomen sumpsit, quod perimeret disceptationem, hoc est, ultra non pateretur adversarium tergiversari. L. 70. ff. de Judiciis.  
12.) Inter tria Edicta olim decem L. 69. ff. de Judic. postea triginta dierum sps

*De in Jus Vocando.* 211

addita voce *peremptoria*, aut clausula alia æquivalente. In *peremptoria* Citatione solet Judex comminari, *etiam absente diversa parte cogniturum se & pronuntiaturum* 13.).

§. 172. In *Judicio ordinario* Actor *In Sum-* & Reus citantur, ut præfixo die simul *mario ci-* compareat. In *Summario*, quale est *tatur so-* plerùmque apud *Judices Ecclesiasti-* cos, citatur solus Reus, cum *lus Reus,* Decreto, ut contra *Libellum* Actoris, qui mox Citationi adjungitur, intra præfixum terminum *Exceptiones* suas proponat. Si autem materia apta est pro decernendo *Mandato*, præcipitur Reo, ut Actori satisfaciat, aut intra præfixum terminum alleget rationes, cur censeat se non teneri ad deferendum intentioni Actoris. *Terminus* in diversis *Tribunalibus* diversus est: *Jus Canonicum* fere permittit arbitrio *Judicis* pro diversitate negotiorum, ut possit deliberare Reus, & *Exceptiones* suas parare.

§. 173. *Citatio* hæc, quæ utpote *In loco* actus *Judicialis*, fieri debet die non *Domicili* O 2 feria-

---

tium intercedere debebat. *Novell. 112. c. 3. Auth. qui semel. C. quomodo aut quando Judex &c.*  
13.) *L. 71. ff. de Judiciis.*

vel Beneficii.

feriato, mittitur per Nuntium juratum, cujus relationi de facta insinuatione in Judicio creditur: vel petitur citati attestatum de recepta Citatione. Homines plebeji in causis levioribus citantur oretenus; pro honestioris autem conditionis personis, & in causis gravioribus Citatio fit per Literas clausas. Si Reus habeat quidem domicilium in territorio Judicis, pro eo tamen tempore moretur in alieno, potest Citatio, quæ est actus Judicialis, mitti ad ejus domicilium: si exinde domestici ulterius Literas Citationis promoveant ad locum præsentis commorationis, traditio harum Literarum non erit actus Judicialis, proin potest fieri die feriato, & absque Literis compassus. E. G. Canonicus Augustanus habet Beneficium Ecclesiasticum in Diocesi Eustettensi: quando Curia Diocesis Eustettensis in causa dictum Beneficium concernente vult citare hunc Canonicum Augustæ commorantem, Literis quibus includitur Citatio, exterius non inscribitur nomen urbis Augustanæ, sed locus Beneficii: procuranda tamen est notitia de facta insinuatione. In quadam Curia Episcopali mos iste servatur, ut Literæ

Cita-



Citationem cujusdam longe absentis continentem, per juratum Notarium tradantur Magistro Postarum, deferendæ ad locum destinatum: hæc traditio, super qua Notarius Instrumentum conficit, habetur pro insinuatione ita, ut elapso termino, computato etiam tempore, quo literæ per Postas in alterum locum deferri solent, citatus habeatur pro contumace, si non compareat, quamvis de acceptis Literis alia non habeatur notitia.

§. 174. Effectus Citationis est I. Ad-  
stringit citatum ad comparandum, vel  
opponendam protestationem de in-  
competentia Judicis; & Actorem ad  
prosequendam litem coram Judice ci-  
tante. II. operatur præventionem ex  
parte Judicis adversus alios forte com-  
petentes. III. Inducit litis pendentiam,  
ut ea pendente nihil innovari possit  
14.). IV. Rem facit litigiosam, ut  
alienari regulariter non possit, si actio-  
ne reali controvertitur. V. Interrum-  
pitur Præscriptio 30. vel 40. anno-  
rum, & citatus constituitur in mala  
fide saltem juridice tali.

*Effectus  
Citationis.*

O 3

TITU.

---

14.) *Cum lite pendente nihil debeat innova-*